Quod a. Isidoro lib. 3. de summo bono in tit. de Causidicis his verbis editur.

Antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nuncupabant, eo quod causidici in certaminib. causarum, omissis quae agunt, veluti canes alterutrum sese lacerant, jurgiaque causarum ad injurias suas commutant: Ea verba de malis causidicis, qui potius impostorum & rabularum, quam boni oratoris & Procuratoris nomen merentur, sunt accipienda. Vel de iis quos Iason vocat in tit. de action. canes Curiarum, devoratores pauperum, in palatio latrantes, serentes lites ex litib. deglubentes suos clientes. Et Zerent appellat contortores legum & extortores bonorum. Tales a Graecis γυπαέτας degeneres Aquilae dicebantur. Iis tamen qui juxta Spec. in judicio sunt justi, in consilio cauti, & in patrocinio fideles, et qui pauperum rem tuentur, juxta c. 24. dist. 2. non parum laudis de Iure Caesareo tribuitur.